



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

II. De Libero Arbitrio, Sive De Viribvs Hvmanis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

vocabulo accidentis, quemadmodum etiam, Qualitatis: neque eas voces reiecit. Interim tamen singulari diligētia & magno zelo declaravit, & inculcauit, quam horribilis sit qualitas & accidens: per quod humana natura non tantum contaminata, aut impura facta, verum etiam adeo in vniuersum corrupta est, vt nihil finceri, nihil sani prorsus in ea sit relictum. Sic enim verba eius in explicatione Psalmi nonagesimi habent. Siue igitur peccatum originis QUALITATEM, siue MORBVM vocauerimus, profecto extremum malum est, non solum pari æternam iram & mortem, sed ne agnoscere quidem, quæ pateris. Et in commentario super tertium caput Genesios inquit: Qui isto veneno peccati originis à planta pedis, vsq; ad verticem infecti sumus: siquidem in natura adhuc integra hæc accidēre, &c.

## II.

DE LIBERO ARBITRIO,  
SIVE DE VIRIBVS

## HVMANIS.

**Q**VM de libero arbitrio, seu viribus humanis non modò inter nos & Pontificios hæctenus controuersum fuerit: verum etiam ea de re quidam Augustanæ Confessionis Theologi disceptarint; primùm omnium, quinam controuersie huius, inter Augustanæ Confessionis Theologos, status fuerit, perspicuè docebimus.

Quandoquidem homo, ratione liberi sui arbitrij, in quatuor, & quidem valde diuersis statibus, considerari potest: iam non quæritur, quale fuerit ipsius arbitrium ANTE LAPSUM: aut quale id sit, post lapsum, ante hominis conuersionē, IN REBUS EXTERNIS,

quæ



que ad hanc vitam spectant: Neque quæritur, quale  
 sit illud arbitrium, aut quantæ ipsius vires, etiam in  
 rebus spiritualibus, **POST QUAM** per Spiritum Dei  
**REGENERATUS EST**, & à Dei Spiritu iam regi-  
 catur, quale liberum arbitrium sit habiturus, quan-  
 do à **MORTUIS** resurget. Sed hic est verus & vnicus  
 controuersæ Status; quid hominis **NONDUM RE-  
 NATI** intellectus & voluntas, **IN IPSA CONVER-  
 SIONE** & regeneratione, ex **PROPRIIS** suis, & post  
 lapsum **RELIQVIS VIRIBVS** præstare possit: quan-  
 do videlicet verbum Dei prædicatur, & Dei gratia no-  
 bis offertur. Hic quæritur, an homo ad hanc Dei  
 gratiam apprehendendam sese applicare, eam ample-  
 cti, & verbo Dei assentiri possit. Hæc disputatio, iam  
 aliquot, & quidem multos annos in Ecclesijs Augu-  
 stinæ Confessionis, inter Theologos nonnullos fuit  
 agitata.

Vna pars sensit atque docuit: quamuis homo pro-  
 prijs suis viribus, legem Dei implere, Deo verè confide-  
 re, ipsum timere & diligere, sine gratia Spiritus sancti,  
 non possit: tamen tantum adhuc ipsi virium naturali-  
 um, ante regenerationem, reliquum esse, vt aliquo mo-  
 do se ad gratiam Dei præparare, applicare, & assentiri,  
 languide tamen, possit. Sed nisi accedat gratia Spiritus  
 sancti, nihil illum qualemcunq; assensum præstare pos-  
 se, sed in lucta succumbere.

Ex altera autem parte Enthusiastæ, tum veteres,  
 tum recentiores docuere: quòd Deus hominem, sine  
 vilo medio aut instrumento creaturarum, hoc est, sine  
 externa prædicatione, & absque auditione verbi Dei,  
 per Spiritum suum conuertat, & ad salutarem Christi  
 agnitionem pertrahat.

Contra vtriusq; partis corruptelas, sinceri Augu-  
 stinæ Confessionis doctores asseruerunt: hominem,  
 ex lapsu primorum nostrorum parentum ita penitus



I. Cor. 2.

corruptum esse, ut in rebus spiritualibus, quæ ad conversionem & salutem nostram spectant, naturæ cæcus sit, & verbum Dei prædicatum neque intelligat, neque intelligere possit, sed illud ut rem stultam iudicet, & nunquam à seipso ad Deum appropinquet, sed potius inimicus Dei sit, & maneat, donec virtute Spiritus sancti, per verbum prædicatum & auditum, ex mera gratia, sine omni sua propria cooperatione, conuertatur, fide donetur, regeneretur & renouetur.

Ut autem hæc controuersia iuxta verbi Dei analogiam piè declaretur, & per ipsius gratiam decidatur, doctrina, fides, & confessio nostra hæc est, ut sequitur.

**C R E D I M U S**, quòd hominis non renati intellectus, cor, & voluntas, in rebus spiritualibus & diuinis, ex proprijs naturalibus viribus prorsus nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere, operari, aut cooperari possint, sed homo ad bonum prorsus corruptus & mortuus sit, ita, ut in hominis natura, post lapsum, ante regenerationem, ne scintillula quidem spiritualium virtutum reliqua manserit, aut restet, quibus ille ex se ad gratiam Dei præparare se, aut oblatam gratiam apprehendere, aut eius gratiæ (ex sese & per se) capax esse possit, aut se ad gratiam applicare aut accommodare, aut viribus suis proprijs, aliquid ad conuersionem suam, vel ex toto, vel ex dimidia, vel minima parte, conferre, agere, operari aut cooperari (ex seipso, tanquam ex semetipso) possit, Sed homo sit peccati **S E R V V S**, & mancipium Sathanæ, à quo agitatur. Inde adeò naturale liberum arbitrium, ratione corruptarum virtutum & naturæ suæ deprauatæ, duntaxat ad ea, quæ Deo displicent & aduersantur, actiuum & efficax est.

Iohan. 8.

Ephes. 2.

2. Tim. 2.

Hanc piam declarationem & generalem (ad statum causæ, in exordio huius tractationis propositum) responsionem, è verbo Dei desumpta argumenta, quæ



recitabimus, confirmant. Licet autem ea supercilio  
humanae rationis & Philosophiae displiceant: tamen  
nouimus, mundi huius peruersissimi sapientiam, co-  
ram Deo esse stultitiam, & quod de capitibus religionis  
nostrae tantummodò ex verbo Dei sit iudicandum.

PRIMÒ, etsi humana ratio, seu naturalis intelle-  
ctus hominis obscuram aliquam notitiæ illius scintil-  
lulam reliquam habet, quòd sit Deus: & particulam  
aliquam legis tenet: tamen adeò ignorans, cæca, &  
peruersa est ratio illa, vt etiam si ingeniosissimi & do-  
ctissimi homines in hoc mundo Euangelion de Filio  
Dei, & promissiones diuinas de æterna salute legant  
vel audiant: tamen ea proprijs viribus percipere, in-  
telligere, credere, & vera esse, statuere nequeant. Quin  
potius, quantò diligentius in ea re elaborant, vt spiri-  
tuales res istas suæ rationis acumine indagant & com-  
prehendant: tantò minùs intelligunt & credunt: & ea  
omnia pro stultitia & meris nugis & fabulis habent,  
priusquam à Spiritu sancto illuminentur & doceantur.  
Sic enim scribit Apostolus: Animalis homo non per-  
cipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi,  
& non potest intelligere: quia spiritualiter examina-  
tur. Et quia in Dei sapientia non cognouit mun-  
dus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam  
prædicationis saluos facere credentes. Et alibi de ho-  
minibus impijs & nondum renatis in hanc sententiam  
scribit: Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tene-  
bris obscuratum habentes intellectum, alienati à vi-  
ta Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcita-  
tem cordis ipsorum. Et Christus inquit: Videntes non  
vident, & audientes non audiunt, neq; intelligunt, &c.  
Vobis autem datū est, nosse mysteriū regni Dei. Et rur-  
sus Apostolus ait: Non est intelligens, nō est requirens  
Deū. Omnes declinauerunt: simul inutiles facti sunt:

I.

Rom. 1.

1. Cor. 2.

1. Cor. 1.

Ephes. 4.

Matth. 13.

Luc. 8.

Rom. 3.



*Ephes. 5.*  
*Act. 26.*  
*Iohan. 1.*

*Ephes. 2.*  
*Colos. 2.*

*2. Cor. 3.*

*Roman. 3.*  
*Iohan. 8.*  
*Iohan. 1.*  
*1. Cor. 2.*

*Rom. 8.*

non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et sacra scriptura hominem naturalem, in rebus diuinis & spiritualibus, tenebras vocat. Lux in tenebris lucet, hoc est, in tenebricoso & exæcato mundo, qui Deum neque nouit neque curat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Quin etiam sacræ literæ docent, hominem in peccatis non tantummodò languidum & zgròtum, verùm etiam prorsus mortuum esse.

Sicut igitur homo, qui corporaliter mortuus est, seipsum proprijs viribus præparare aut accommodare non potest, vt vitam externam recipiat: ita homo spiritualiter in peccatis mortuus, seipsum proprijs viribus ad consequendam spiritualem & cœlestem iustitiam & vitam præparare, applicare aut vertere non potest: nisi per filium Dei à morte peccati liberetur & viuificetur.

Scriptura igitur hominis naturalis intellectui, cordi, & voluntati omnem aptitudinem, capacitatem, & facultatem in rebus spiritualibus aliquid boni & recti (ex semetipso) cogitandi, intelligendi, inchoandi, volendi, proponendi, agendi, operandi, & cooperandi adimit. Sic enim inquit Apostolus: Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed quòd idonei sumus, id ex Deo est, &c. Omnes inuites facti sunt. Sermo meus (ait Christus) non capit in vobis. Tenebræ non comprehenderunt (seu receperunt) lucem. Animalis homo non percipit (vel vt græcum vocabulum significanter exprimit, & *Νεχεται*, non capit, non comprehendit, non accipit) ea, quæ sunt spiritus Dei, vel, non est capax rerum spiritualium: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, &c. Multò minus igitur eiusmodi animalis seu naturalis homo Euangelio verè credere, aut assentiri, & id pro veritate agnoscere poterit. Carnis siue naturalis hominis sensus inimicitia est aduersus Deum: quia legi Dei non



subijcitur, ac ne potest id quidem. Summa, verum est, perpetuoque manebit verum, quod filius Dei inquit: Sine me nihil potestis facere. Et Apostolus ait: Deus est, qui operatur in vobis & VELLE, & PERFICERE, pro bona voluntate: quæ scripturæ dulcissima sententia, omnibus pijs mentibus, quæ scintillam aliquam & desiderium gratiæ diuinæ & æternæ salutis in cordibus suis sentiunt, eximiam consolationem adfert. Certi enim sunt, quòd ipse Deus initium illud veræ pietatis tanquam flammulam, in cordibus populi accenderit: quodq; velit eos etiam in magna infirmitate, porro confirmare, & iuuare, vt in vera fide ad finem vsq; perseuerent.

*Iohan. 15.  
Philip. 2.*

Huc referantur etiam omnes sanctorum preces, quibus petunt, vt à Deo doceantur, illuminentur, & sanctificentur. His enim precibus satentur, quòd ea, quæ petunt, suis naturalibus viribus habere nequeant, Et quidem David in vno duntaxat Psalmo decies & amplius orat pro intellectu, vt doctrinam diuinam rectè capere & discere queat. Tales precatiunculæ multæ admodum in scriptis Paulinis extant: quæ preces & sententiæ, de ignorantia & impotentia nostra, nõ idèd nobis præscriptæ sunt, vt ad legendum, audiendū atque meditandum verbum Dei tardiores atque remissiores reddamur, sed vt primùm Deo toto pectore gratias agamus, quòd nos è tenebris ignorantia, & captiuitate peccati ac mortis, per Filium suum liberauerit, & per Baptismum & Spiritum sanctum regenerauerit atque illuminauerit.

*Psal. 119.*

*Ephes. 1.  
Colos. 1.  
Philip. 1.*

Et, postquam Deus per Spiritum sanctum suum initium in Baptismo fecit, atque veram Dei agitionem & fidem in cordibus nostris accendit atque operatus est: assiduis precibus orandus est, vt per eundem Spiritum, sua gratia (per quotidiana exercitia audiendi, legendi, & ad vsum transferendi verbum Dei) in nobis



idem & cœlestia sua dona fouere, de die in diem confirmare, & ad finem vsque conseruare velit. Nisi enim Dominus ipse Doctoris & præceptoris officio fungatur: nihil eorum, quæ ipsi grata, nobis autem & alijs salutaria sunt, discemus.

## II.

DEINDE, verbum Dei testatur, hominis naturalis non renati, intellectum, cor, & voluntatem in rebus diuinis, prorsus non modò à Deo auersa, verùm etiam aduersus Deum ad omne malum conuersa, & penitus deprauata esse. Item, hominem non tantùm infirmum, imbecillem, ineptum, & ad bonum entium: verùm etiam p peccatū originis adeò miserabiliter peruersum, veneno peccati infectum & corruptum esse: vt ex ingenio & natura sua totus sit malus, Deo rebellis & inimicus, & ad omnia ea, quæ Deus odit, inimicum sit potens, viuus, efficax. Sensus & cogitatio humani cordis tantùm mala sunt, ab adolescentia tua. Præuam est cor hominis (ait Ieremias) & inscrutabile: quis cognoscat illud? Hoc dictum Apostolus his verbis interpretatur: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Caro concupiscit aduersus Spiritum. Hæc sibi inuicem aduersantur. Et ad Romanos sic ait: Scimus, quòd lex spiritualis est: ego autem carnalis, venundatus sub peccato. Et paulò post: Scio, quòd in me, hoc est, in carne mea non habitat bonum, &c. Condesctor enim legi Dei secundùm interiorem hominem (qui ex Spiritu sancto renatus est:) Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, &c.

Si autem in beato Apostolo Paulo, & alijs renatis hominibus, naturale vel carnale liberum arbitrium, etiam post regenerationem legi diuinæ repugnat: quomò magis ante regenerationem legi & voluntati Dei rebellabit & inimicum erit? Ex his manifestam est (vt in articulo de peccato originis pluribus ostendimus, ad

*Gen. 8.*

*Ierem. 17.*

*Rom. 8.*

*Galat. 5.*

*Rom. 7.*



que breuitatis causa nunc non referimus) liberum arbitrium, proprijs & naturalibus suis viribus, non modo nihil ad conuersionem, iustitiam, & salutem suam operari, aut cooperari, sicut Spiritui sancto (qui homini in Euangelio gratiarum Dei & salutem offert) obsequi, credere, aut assentiri posse: sed potius, pro insana & rebeli & contumaci natura, Deo & voluntati eius insolenter repugnare, nisi spiritu Dei illuminetur atque regatur.

Eam ob causam sacræ literæ hominis non renatur cor duro lapidi, qui ad tactum non cedit, sed resiliat, item rudi trunco, interdum etiam feræ indomitæ comparant, non quod homo post lapsum non amplius sit rationalis creatura: aut quod absq; auditu & meditatione verbi diuini ad Deum conuertatur: aut quod in rebus externis & civilibus nihil boni aut mali intelligere possit, aut liberè aliquid agere vel omittere queat.

Nam (vt D. Lutherus in Commentario super Psal. 90. dicit:) in civilibus externis rebus, quæ ad vitæ & corporalem sustentationem pertinent, homo est industrius, ingeniosus, & quidem admodum negotiosus: Sed in spiritualibus & diuinis rebus, quæ ac animæ salutem spectant, homo est instar statuæ salis (in quam vxor Patriarchæ Loth est conuersa:) imò est similis trunco & lapidi, ac statuæ vita carenti, quæ neque oculorum, oris, aut vllorum sensuum, cordis ue vitium habet. Homo enim horrendam Dei iram aduersus peccatum, & ex ea consequentem mortem neque videt, neque agnoscit: sed strenuè in carnali sua securitate (etiam sciens volensq;) pergit: & ita in mille pericula, tandem etiam in æternam mortem & damnatione se præcipitat. Neq; ab eo ad interitum cursu, homino precibus, admonitionibus, obsecrationibus, minis, obiurgationibus, reuocari se patitur: nulla doctrina,

*D. Lutherus in 6. caput Osee: Et in Postillis Ecclesiasticis in epistolam nauitatis Christi, Tit. 3. Et ibidem Dominic. 3. post E-piphania.*



nullæ conciones apud eum locum habent, antequam per Spiritum sanctum illuminatur, conuertitur & regeneratur. Ad hanc verò Spiritus sancti renouationem nullus lapis, nullus truncus, sed solus homo creatus est. Et cum Dens, seuerissimo & iustissimo suo iudicio, lapsos malos spiritus profus in æternum abiecerit: singulari nihilominus & mera miseratione voluit, vt miserrima & lapsi hominis natura, conuersionis & gratiæ Dei, ac vitæ æternæ rursus capax particepsq; fieret, & esset, non ex sua propria, naturali, & actiua aut efficaci habilitate, aptitudine aut capacitate (natura enim hominis est inimicitia aduersus Deum) sed ex mera gratia, per clementem & efficacem operationem Spiritus sancti. Et hoc ipsum vocat D. Lutherus, capacitatem: (non actiuam, sed passiuam) eamq; his verbis declarat: Quando Patres Liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis eius prædicant: quòd scilicet verti potest ad bonum per gratiã Dei, & fieri reuera liberum, ad quòd creatum est. Horum similia etiam Augustinus lib. 2. contra Iulianum scripsit.

Antequam autem homo per Spiritum sanctum illuminatur, conuertitur, regeneratur, & trahitur, ex sese & proprijs naturalibus suis viribus in rebus spiritualibus, & ad conuersionem aut regenerationem suam, nihil inchoare, operari, aut cooperari potest: nec plus, quàm lapis, truncus, aut limus. Etsi enim locomotiuam potentiam seu externa membra regere, Euangelium audire, & aliquo modo meditari, atque etiam de eo differere potest: vt in Pharisæis & hypocritis esse videre: tamen id tacitis cogitationibus, vt rem stultam spernit, neq; credere potest. Et hac in parte exterior est truncus: quia voluntati diuinæ rebellis est & inimicus: nisi Spiritus sanctus in ipso sit officax, & fidem aliasq; Deo probatas virtutes atq; obedientiam in ipso accendat & operetur.

PRAE

Tom. I.  
pag. 236.



PRAETEREA, sacrae literae, hominis conuerfionem, fidem in Christum, regenerationem, renouationem, & omnia, quae ad illam efficaciter inchoandam & absolendam pertinent, nequaquam humanis viribus naturalis Liberi Arbitrij, neque ex toto, neque dimidia, aut vlla vel minima ex parte, sed in solidum, id est, simpliciter soli diuinæ operationi & Spiritui sancto adscribunt, sicut etiam Apologia testatur.

Ratio & naturale liberum arbitrium habet aliquo modo facultatem, vel externam honestam vitam instituere possit: at vt internè homo renascatur, ipsiusq; cor & animus immutentur, hoc solius Spiritus sancti opus est. Et sanè is donat intellectum, & cor hominis aperit, vt scripturam intelligat, & verbo Domini attendat, vt Lucæ 24. scriptum est: Aperuit ipsis scripturam, vt eam intelligerent. Et Actor. 16. Lydiæ auscultanti Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur à Paulo, Operatur enim Dominus in nobis vtrumq; & velle, & perficere, dat pœnitentiam, operatur fidem: vt Apostolus ait: Vobis donatum est, vt in eum credatis. Donum Dei est. Et Christus inquit: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Dominus donat cor intelligens, oculos videntes, & aures audientes. Spiritus sanctus est spiritus regenerationis & renouationis. Ille aufert durum, lapideum cor: & donat nouum, molle, & carneum cor, vt in præceptis eius ambulemus. Ille nos in Christo Iesu creat ad opera bona: & nos nouas creaturas facit. Et vt paucis dicamus: omne donum bonum est à Deo. Nemo potest ad Christum venire, nisi Pater traxerit eum. Nemo nouit Patrem, nisi cui Filius reuelare voluerit. Nemo potest Christum Dominum appellare, nisi per Spiritum sanctum. Sine me (inquit Christus) nihil facere potestis. Omnis sufficiens nostra à Deo est, Et quid habes, quod non accepisti? quid igitur gloriaris, quasi non acceperis?

III.

Philip. 2.  
Actor. 5.  
2. Tim. 2.  
Philip. 1.  
Ephes. 2.  
Iohan. 6.  
Deut. 29.  
Matth. 13.  
Tit. 3.  
Eze. 11. 36.  
Deut. 30.  
Psal. 51.  
Ephes. 2.  
1. Cor. 5.  
Galat. 6.  
Iacob. 1.  
Iohan. 6.  
Matth. 11.



1. Cor. 12.  
Iohan. 15.  
2. Cor. 3.  
1. Cor. 4.  
De prede-  
stinatione,  
cap. 4.

Et sanè D. Augustinus hoc scripturæ loco, conuictum se esse fatetur, vt opinionem, quam antea ea de se falsam conceperat, abijceret. Senserat enim gratiam Dei in eo tantum cōsistere, quod in præconio veritatis Dei voluntas nobis reuelaretur: vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & ex nobis esse. Item, Erravi (inquit) cum dicerem, nostrum esse credere & velle, Dei autem, dare credentibus & volentibus facultatem operandi.

Hæc doctrina in sacris literis solidissima fundamenta habet, & Augustanæ Confessioni, alijsq; scriptis publicis & approbatis, quorum supra mentionem fecimus, planè conformis est: quemadmodum dicta, quæ recitabimus, luculenter testantur.

In Articulo XX. Augustana Confessio hæc verba habet: Homines sine Christo, sine fide, & sine Spiritu sancto sunt in potestate Diaboli, qui impellit homines ad varia & manifesta scelera. Ideo primùm docentur homines de fide, quomodo Spiritus sanctus derur, & quod Christus nos iuuet, & tegat contra Diabolum, &c. Et paulò post: Humana ratio & virtus sine Christo nimis infirma est ad resistendum Diabolo, qui impellit homines ad peccandum, &c.

Ex his manifestum est, quod Augustana Confessio hominis voluntatem in rebus spiritualibus, haudquam liberam pronunciet: sed affirmet, hominem esse in Diaboli potestate: Quomodo igitur suis ipse viribus ad Euangelion, aut ad Christum se conuertere posse?

Articulo  
18. Confes-  
sionis.

Apologia Confessionis de libero arbitrio ad hunc modum docet: Non adimimus humanæ voluntati libertatem. Habet enim libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit, &c. Et paulò post: Humana corda sine Spiritu sancto, sunt sine timore Dei, sine fide, & fiducia erga Deum, nō credunt

se ex-



secaudri a Deo, sibi remitti peccata, & in tribulatione velle Deum operam ferre: igitur sunt impia.

Porro arbor mala non potest ferre bonos fructus. Et sine fide impossibile est placere Deo. Igitur, etiam si concedimus Libero arbitrio libertatem & facultatem extrema legis opera efficiendi: tamen illa spiritualia non tribuimus libero arbitrio, scilicet, verè timere Deum, verè credere Deo, &c. Hæc satis clarè testantur, quòd Apologia humanæ voluntati nullas vires attribuat, vel bonum inchoandi, vel ex sese cooperandi.

In articulis Smalcaldicis sequentes errores de libero arbitrio rejiciuntur: quòd homo liberum habeat arbitrium, bonum agendi, & malum omittendi, &c. Et post aliqua tanquam error repudiatur, cum docetur: Non posse ex scriptura probari, ad bonum opus necessarium requiri Spiritum sanctum, & eius gratiam.

Præterea in articulis Smalcaldicis hæc leguntur. Et hæc penitentia in Christianis vsq; ad mortem durat. Luctatur enim cum reliquijs peccati in carne, per totam vitam: quemadmodum D. Paulus Rom. 7. testatur, se luctari cum lege membrorum suorum, atq; hoc non proprijs viribus, sed Spiritus sancti dono, quod remissionem peccatorum statim sequitur. Hoc donum quotidie aliquid de reliquijs peccati expurgat, & in hoc incumbit, vt hominem verè mundum & sanctum reddat. Hæc verba prorsus nihil de nostra voluntate loquuntur: neq; dicunt, quòd ea, etiam in renatis, aliquid ex sese, operetur, sed omnia Spiritus sancti dono ascribunt: quòd hominem emundet, & de die in diem meliorem & sanctiorem faciat: & ab eo opere vires nostræ propriæ prorsus excludantur.

Maior D. Lutheri Catechismus sic habet: Illius Catholicæ Christianæ Ecclesiæ ego quoq; pars sum & membrum: omnium bonorum, quæ ipsa habet, participans & confors: per Spiritum sanctum enim ad eam

*De peccato  
Originis.*

*De peni-  
tentia.*

*De tertio  
articulo  
Symboli  
Apostolici.*

com-



communione cœlestium bonorum introductus, & Ecclesiæ sum insertus; hoc videlicet medio, quòd verbum Dei audiui, & adhuc audio; hoc enim initium est, per quod aditus ad Ecclesiam Dei nobis patet.

Antequam enim in Ecclesiam Christi introducti sumus, vilissima Diaboli mancipia eramus: quia de Deo & Christo nihil noueramus. Spiritus sanctus autem manet cum sancta Ecclesia Catholica ad nouissimum usque diem: & per Ecclesiam nos sanat, eiusque opera utitur in docendo & propagando Dei verbo: per quod ipse sanctificationem nostram operatur & promouet: ut de die in diem proficiamus, & in fide confirmemur, atque in ferendis bonis fidei fructibus, quos ipse efficit, progressus subinde maiores faciamus, &c. In his omnibus, quæ iam è Catechismo recitauimus, liberi nostri arbitrij, aut cooperationis nostræ, ne vno quidem verbulo sit mentio: sed omnia Spiritui sancto attribuantur: quòd, videlicet, nos per ministerium verbi in Ecclesiam Dei introducat, in qua nos sanctificet, & efficiat, ut quotidie in fide & bonis operibus proficiamus.

Quamuis autem renati, etiam in hac vita, eò usque progrediantur, ut bonum velint, eoque delectentur, & bene agere atque in pietate proficere studeant: tamen hoc ipsum (ut paulò antè dictum est) non à nostra voluntate, aut à viribus nostris proficiscitur: sed Spiritus sanctus (ut Paulus ipse de hac re loquitur) operatur in nobis illud *VELLE & PERIFICERE*. Quem admodum etiam alibi Apostolus hoc opus soli Deo tribuit, cum inquit: *Ipsi sumus factura, creati in Christo Iesu, ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus.*

In minori Catechismo D. Lutheri sic scriptum est: *Credo, me non propria mea ratione aut virtute in Iesum Christum Dominum meum credere, ac ad ipsum*

venire

*Philip. 2.*

*Ephes. 2.*



venire posse, quandoquidem Spiritus sanctus me per Evangelium vocavit, suis donis illuminavit, in recta fide sanctificavit & conservavit, quem admodum uniuersam Christianam Ecclesiam in terris vocat, colligit, illuminat, sanctificat, & in vera ac vna fide in Iesum Christum conservat, &c.

Et in explicatione secundæ petitionis in Oratione Dominica hæc sunt verba: Qui sit hoc? (vt scilicet regnum Dei ad nos veniat) Responso: Quando cœlestis Pater nobis Spiritum sanctum suum largitur, vt verbo eius sancto per gratiam Dei credamus, & piè vivamus, &c.

Hæc testimonia affirmant, nos proprijs viribus non posse ad Christum venire, sed Deum dare nobis Spiritum suum sanctum, à quo illuminamur, sanctificamur, & ita ad Christum per fidem adducimur, atq; in ipso conservamur. Hic nec voluntatis nostræ, nec cooperationis mentio fit.

His adiungemus dictum, quo D. Lutherus tandem adhibita protestatione seipsum declarat, quòd in hac doctrina vsq; ad vitæ finem perseverare velit. Verba in maiore Confess. de sacrosancta Cœna hæc sunt: Reijctio & damno tanquam meros errores, omnia dogmata, quæ nostrum liberum arbitrium prædicant, vtpote quæ auxilio & gratiæ saluatoris nostri Iesu Christi simpliciter repugnant. Cùm enim (extra Christum) mors & peccatum nobis dominantur, & Diabolus sit Deus & princeps noster, non potest hic esse vlla potentia aut virtus, sapientia, aut intelligentia in nobis, qua ad iustitiam & vitam nos parare & eam quærere possimus, sed constat nos planè excæcatos & captiuos, & peccati ac diaboli mancipia esse, & facere atque cogitare ea, quæ ipsis placent, & Deo & præceptis eius aduersa sunt.

In his verbis D. Lutherus piæ sanctæq; memoriæ,

libere



Iohan. 6.

libero nostro arbitrio prorsus nihil virium tribuit, quibus se homo ad iustitiam preparare, aut eam quærere possit. Contra verò docet, hominem exæcatum & captiuum tantummodò voluntari Satanae parere, & ea, quæ Deo displicent, facere. Quare non est in hoc negotio sumenda vlla cooperatio voluntatis nostræ, in hominis conuersione. Etenim necesse est, vt homo diuinitus trahatur, & ex Deo renascatur: aliàs nulla in cordibus nostris cogitatio est, quæ à seipso ad euangelion amplectendum, sese conuertat. Hoc negotium D. Lutherus in libro suo, De Seruo arbitrio contra Eras- mum, egregiè & solidè explicuit, atq; sententiam hanc piam & inuictam esse demonstrauit. Postea, in Comen- tario illo præclaro, quem in Genesim scripsit ( præci- pue in explicatione 26. capitis ) eandem reperit & declarauit. Eo loco etiam alias quasdam peculiare ab Erasmo motas disputationes ( vt, de absoluta necessi- tate, &c. ) attigit: & quomodo ea intelligi & accipi- vellet, contra omnes sinistras suspiciones & corrupte- las, pia explicatione optimè muniuit. Ea hic repetita esse volumus: & vt diligenter legantur, omnes hortamur.

Quare malè docetur, cum fingitur: hominem non renatum adhuc tantum habere virium, vt Euangelion amplecti, eoq; sese consolari cupiat: & hoc modo hu- manam voluntatem (qualis natura est) in conuersione aliquo modo cooperari. Hæc enim falsa opinio, sacro- sanctæ scripturæ, piæ Augustinæ Confessioni, eiusdem Apologiæ, Smalcaldicis articulis, Maiori & minori Ca- techismis Lutheri, & alijs huius excellentissimi & diu- nitus illuminati Theologi scriptis repugnat.

Non ignoramus autem, & Enthusiastas & Epicuræ- os pia hac, de impotentia & malitia naturalis liberi arbitrij, doctrina ( qua conuersio & regeneratio nostra soli Deo, nequaquam autem nostris viribus tribuitur

impie



impie, turpiter, & malignè abuti. Et multi impijs illo-  
rum sermonibus offensi atq; deprauati, dissoluti & feri-  
unt, atq; omnia pietatis exercitia, orationem, sacram-  
entonè, pias meditationes, remissè tractant aut pror-  
sus negligunt: ac dicunt, quandoquidem proprijs suis  
naturalibus viribus ad Deum sese conuertere neque-  
ant, perrecturos se in illa sua aduersus Deum contuma-  
cia: aut expectaturos, donec à Deo violenter, & contra  
sua ipsorum voluntatem cõuertantur. Et cum in his-  
ce spiritualibus rebus nullam agendi facultatem ha-  
beant, sed totum illud conuersionis negocium solius  
Spiritus sancti operatio sit, negant se porro verbum  
Dei vel audituros vel lecturos, aut sacramento vsuros:  
sed expectare velle, donec ipsis Deus immediatè cœli-  
tus dona sua infundat, vt reuerà in seipsis sentire & ex-  
perientia ipsa certiores fieri possint, se à Deo conuer-  
sos esse.

Alij verò, vt infirmæ & perturbatæ mentes, non satis  
rectè intellecta pia nostra doctrina de libero arbitrio,  
fortasse in tristes has cogitationes & periculosam du-  
bitationem incidere possent: an sint à Deo electi: &  
an Deus dona illa per Spiritum sanctum in ipsis opera-  
ri velit: præsertim cum in cordibus suis non adeò fir-  
mam & flagrantem fidem, promptamq; obedientiam,  
sed solummodò meras infirmitates, miserias & angu-  
stias sentiant.

Hanc ob causam porro è verbo Dei docebimus:  
quomodo homo ad Deum conuertatur: quomodo &  
quibus medijs (videlicet per verbum vocale, & per Sa-  
cramenta) Spiritus sanctus in nobis efficax sit, & veram  
penitentiam, fidem, nouasq; spirituales vires ac facul-  
tates ad bene agendum, in cordibus nostris operari &  
largiri velit: & quemadmodum nos erga oblata illa  
media gerere, & ijs quomodo vti debeamus.

Non est voluntas Dei, vt quisquam pereat: sed vult,

vt omnes



Ezech. 33.

Iohan. 3.

vt omnes homines ad ipsum conuertantur, & in æternum salui fiant. *Viuo ego* (inquit Dominus) nolo mortem peccatoris: sed vt conuertatur, & viuat. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui in eum crediderit, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Propterea Deus pro sua ineffabili bonitate & clementia curat, vt & sua diuina & immota lex, & mirandum consilium, de liberatione nostra, sanctum videlicet & saluificum Euangelion de æterno filio suo vnico saluatore & redemptore nostro Iesu Christo, publice annuncientur. Ea prædicatione æternam Ecclesiam sibi è genere humano colligit: & in hominum mentibus, veram pœnitentiam, agnitionem peccatorum, & fidem veram in filium Dei, Iesum Christum, operatur. Et visum est Deo per hoc medium, & non alio modo, nimirum per sanctum verbum suum, cum id vel prædicari auditur vel legitur, & per Sacramentorum legitimum vsum homines ad æternam salutem vocare, ad se trahere, conuertere, regenerare, & sanctificare. Quia in

1. Cor. 1.

Actor. 10.

Rom. 10.

Iohan. 17.

Matth. 17.

Dei sapientia (inquit Apostolus) non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et Angelus inquit: Petrus loquetur tibi verba, in quibus saluus eris tu, & vniuersa domus tua. Et: Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Item: Sanctifica eos, pater, in veritate tua, verbum tuum est veritas, &c. Oro autem pro ijs etiam, qui per sermonem ipsorum in me sunt credituri. Quapropter æternus Deus pater cœlestis cœlitus de filio suo dilecto, & de omnibus, qui ipsius nomine pœnitentiam, & remissionem peccatorum prædicant, clamat: **HUNC AUDITE.**

Hanc verbi Dei prædicationem audire oportet omnes, qui æternam salutem consequi cupiunt. Prædicatione enim verbi Dei, & eiusdem auscultatio, sunt Spi-

ritus



sancti instrumenta, cum quibus, & per quæ effi-  
citer agere, & homines ad Deum conuertere, atque  
propis & velle & perficere operari vult.

Hoc Dei verbum homo, etiam nondum ad Deum  
conuersus, nec renatus, externis auribus audire aut le-  
gere potest. In eiusmodi enim externis rebus, vt supra  
dictum est, homo adhuc, etiam post lapsum, aliquo  
modo liberum arbitrium habet, vt ad cœtus publicos  
Ecclesiasticos accedere, verbum Dei audire, vel non  
audire possit.

Per hoc medium seu instrumentum, prædicatio-  
nem nimirum, & auditionem verbi, Deus operatur:  
emollit corda nostra, trahitque hominem: vt ex con-  
tritionibus legis & peccata sua, & iram Dei agnoscat, &  
veros terrores, atque contritionem in corde suo sen-  
tiat. Et per annunciationem ac meditationem Euan-  
gelij, de gratuita & clementissima peccatorum remis-  
sione in Christo, scintilla fidei in corde ipsius ac-  
cenditur, quæ remissionem peccatorum propter Chri-  
stum amplectitur, & sese promissione Euangelij, con-  
solatur; & hoc modo Spiritus sanctus, qui hæc o-  
mnia operatur, in cor mittitur.

*Galat. 4.*

Etsi autem verumque, tum concionatoris plantare &  
rigare, tum auditoris currere & velle, frustra omnino  
essent, neque conuersio sequeretur, nisi Spiritus san-  
cti virtus & operatio accederet: qui per verbum præ-  
dicatum & auditum corda illuminat & conuertit, vt  
homines verbo credere & assentiri possint: tamen  
neque concionator neque auditor de hac Spiritus  
sancti gratia & operatione dubitare debent. Quin  
potius vterque certò sciat, si verbum Dei, iuxta man-  
datum & voluntatem Dei purè & sincerè prædicatum  
fuerit, & homines diligenter & seriò auscultauerint,  
illudque meditati fuerint, certissimè Dominum gra-  
tia sua præsentem adesse, & largiri ea, vt paulò antè



dictum est, quæ homo aliâs suis proprijs viribus neque accipere, neque dare potest. De præsentia enim, operatione & donis Spiritus sancti non semper ex sensu (quomodo videlicet & quando in corde sentiuntur) iudicari debet aut potest: Sed quia hæc sæpe multiplici infirmitate contexta fiunt, ex promissione verbi Dei certò statuere debemus, quòd verbum Dei prædicatum & auditum reuera sit ministerium & organum Spiritus sancti, per quod in cordibus nostris vere efficax est & operatur.

2. Cor. 2.

At si homo quispiam neque verbum Dei audire, neque legere velit, sed potius ministerium verbi & Ecclesiam Dei contemnat, & in peccatis suis ita moriatur & pereat: is neque ex æterna Dei prædestinatione quicquam consolationis capere, neque misericordiam apud Deum consequi potest. Christus enim, in quo electi sumus, omnibus hominibus clementiam suam in verbo & Sacramentis offert, & serò vult, ut verbum illud audiatur: ac promissit, vbi cunque duo aut tres in nomine eius congregati fuerint, & verbum eius pie tractauerint, ibi se in medio ipsorum adfuturum.

Matth. 18.

Quare cum homo prophanus instrumenta seu media Spiritus sancti contemnit, neque verbum Dei audire vult, non fit illi iniuria, si à Spiritu sancto non illuminetur, sed in tenebris infidelitatis suæ relinquatur, & pereat. De hac re sic scriptum extat: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & nolivisti?

Matth. 23.

Et hac ratione rectè etiam dici potest, hominè non esse lapidem aut truncum. Lapis enim aut truncus non reluctatur ei, à quo mouetur: sed neque intelligit aut sentit, quid secum agatur, sicut homo Deo sua voluntate reluctatur, donec ad Dominum conuersus fuerit. Et tamen verum est, quòd homo, etiam ante conuersionem, sit creatura rationalis, quæ intellectum & voluntatem habeat: (intellectum autem non in rebus diu-



& voluntatem, non vt bonum & salutare ali-  
 quid velit: sed tamen ad conuersionem suam (vt sa-  
 cram est dictum) prorsus nihil conferre potest. Et  
 in parte multò est deterior lapide aut trunco:  
 quia repugnat verbo & voluntati Dei, donec Deus  
 eum a morte peccati reluscitet, illuminet atque reno-  
 uet. Et si autem Dominus hominem non cogit, vt con-  
 uertatur (qui enim semper Spiritui sancto resistunt, &  
 veritati agnitæ perseverantes repugnant: quod sanctus  
 Stephanus induratis Iudæis tribuit: hi non conuer-  
 tuntur: ) atramea trahit Deus hominem, quem con-  
 uertere decreuit. Sic autem eum trahit, vt ex intelle-  
 ctu cæcato, illuminatus fiat intellectus, & ex rebelli  
 voluntate fiat prompta & obediens voluntas. Et hoc  
 scriptura vocat, NOVVM COR CREARE.  
 Et pro causam etiam non rectè dicitur: hominem ante  
 conuersionem in rebus spiritualibus habere MO-  
 DVM AGENDI aliquid, quod sit bonum & salutare.  
 Cum enim homo ante conuersionem in peccatis mor-  
 tuus sit: non potest in ipso aliqua vis ad bene agendum  
 in rebus spiritualibus, inesse: itaq; non habet modum o-  
 perandi seu agendi aliquid in rebus diuinis. Quàdo verò  
 de eo agitur, quomodo Deus in homine operetur, veri-  
 quidem est, quòd Deus alium modum agendi habeat  
 in homine, vt pote in creatura rationali: & alium mo-  
 dum in alia aliqua irrationali creatura, vel in lapide aut  
 trunco: nihilominus ea de causa homini ante conuer-  
 sionem eius modus agendi aliquid boni in rebus diui-  
 nis, tribui non potest. Quando verò iam homo est  
 conuersus & illuminatus, eiusque voluntas renouata  
 est: tunc homo VLT BONVM, quatenus renatus  
 & nouus homo est: & lege Dei delectatur, secundum in-  
 teriorem hominem. Et in posterum tantum boni, &  
 tandiu bonum operatur, quantum, & quam diu à Spiri-  
 tu Dei impellitur: sicut D. Paulus ait: Qui Spiritu Dei  
 aguntur, hi sunt filij Dei. Hæc autem agitatio Spiritus

Vu 2

sancti

NB  
 Non cogit deus  
 hominem  
 Acor. 7. sed trahit  
 eum trahit

Ephes. 2.

Rom. 7.



Psal. 110.

sancti non est coactio: sed homo conuersus sponte bonum operatur: quemadmodum Dauid inquit: Post victoriam tuam populus tuus tibi spontaneus offeret.

Rom. 7.

Et tamen simul, etiam in renatis lucta carnis & spiritus reliqua manet, de qua Paulus ait: Delector lege Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captiuantem me in lege peccati, qua est in membris meis. Et ibidem: Seruio igitur mente legi Dei, carne vero legi peccati. Et ad Galatas inquit:

Galat. 5.

Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hae enim sibi inuicem aduersantur: ut non quaecunque vultis, illa faciatis.

Ex his consequitur, quam <sup>N</sup> primum Spiritus sanctus (vt dictum est) per Verbum & Sacramenta opus suum, regenerationis & renouationis in nobis inchoat: quod reuera tunc per virtutem Spiritus sancti cooperari possimus ac debeamus: quamuis multa adhuc infirmitas concurrat. Hoc vero ipsum, quod cooperamur, non ex nostris carnalibus & naturalibus viribus est, sed ex nouis illis virib. & donis, quae Spiritus sanctus in conuersione in nobis inchoauit. In quam

N.

2. Cor. 6.

συνεργῶντες ἡμεῖς  
καὶ ὁ θεός:  
Nos, qui  
sumus ad-  
ministrati  
seu coope-  
rarij Dei,  
monemus  
vos, vt no-  
strū exem-  
plum imi-  
temini, qui

sententiam D. Paulus expressis verbis grauiter hortatur, vt curemus, ne, tanquam Dei cooperarij, frustra Dei gratiam acceperimus. Quod tamen sic, & non aliter intelligendum est: hominem iam conuersum tantum atq; tamdiu bene operari, quantum & quamdiu a Deo per Spiritum sanctum ducitur, regitur & gubernatur. Quamprimum enim Dominus clementiam suam manum ab ipso retraheret, homo quidem ne ad minimum momentum in obedientia diuina perseuerare posset. Si quis vero Pauli dictum in ea sententia accipere vellet, quasi homo conuersus vnā cum Spiritu sancto eo modo cooperaretur, quemadmodum duo equi simul vnā currum trahunt: equidem hoc

citra



contra veritatis diuinæ iacturam concedi hæcquaquam  
 Quapropter ingens discrimen est inter homines bap-  
 tizatos & non baptizatos. Cùm enim, iuxta Pauli  
 doctrinam, omnes, qui baptizati sunt, Christum indue-  
 runt, & reuerà sint renati, habent illi iam liberatum  
 arbitrium: hoc est, rursus liberati sunt: vt Christus te-  
 statur. Vnde etiam non modò verbum Dei audiunt,  
 verùm etiam, licet non sine multa infirmitate, eidem  
 assentiri, illudq; fide amplecti possunt.

Cùm enim in hac vita tantùm primitias Spiritus  
 acceperimus, & regeneratio nondum sit absoluta, sed  
 solummodò in nobis inchoata: manet perpetua  
 quadam lucta inter carnem & Spiritum etiam in ele-  
 ctis & verè renatis hominibus. Et quidem non modò  
 inter Christianos magnum discrimen deprehenditur:  
 quorum hic infirmus, ille robustus est Spiritu: verùm  
 etiam hanc diuersitatem quilibet Christianus in se-  
 metipso animaduertere potest, se nunc quidem excel-  
 so animo esse, & ad omnia virtute Spiritus paratum  
 promptumque, nunc verò timido & trepido: & iam  
 quidem charitate ardere, firmum in fide & spe esse,  
 post verò frigere, & imbecillitatem suam sentire.

Cùm verò homines baptizati contra conscientiam  
 aliquid patrãrint, & peccato in mortali suo corpore  
 dominium concessoerint, atque ita Spiritum sanctum  
 in seipsis contristãrint & amiserint, non opus est qui-  
 dem, vt rebaptizentur: necesse est autem, vt rursus con-  
 uertantur, de qua re antea satis dictum est.

Hoc enim certissimum est, in vera conuersione im-  
 mutationem, renouationem, & motum fieri oportere  
 in hominis intellectu, voluntate, & corde: vt nimirum,  
 hominis mens peccata agnoscat, iram Dei metuat,  
 à peccato sese auertat, promissionem gratiæ in Christo  
 agnoscat & apprehendat, pijs cogitationes animo

estis aruum  
 & adifica-  
 tio Dei, 1.  
 Cor. 3. re  
 gratta Dei  
 in vobis.  
 sit inanu,  
 1. Cor. 15.  
 sed vt suu  
 templum  
 Dei. Si-  
 uentis &  
 habitantis  
 in vobis,  
 2. Cor. 6.



I. Cor. 2.

2. Cor. 2.

agitet, bonum propositum habeat, atque diligentiam in moribus suis regendis adhibeat, & contra carnem pugnet. Vbi enim nihil horum fit: ibi procul dubio ~~etiam~~ non est vera ad Deum conuersio. Cùm autem quaestio sit de CAUSA EFFICIENTE, hoc est, quisnam hæc in nobis operetur, unde homo hoc ipsum habeat, & quomodo id consequi possit: hæc pia doctrina ostendit horum bonorum fontem, hoc videlicet modo. Cùm naturales hominis vires ad veram conuersionem nihil conferre, aut quicquam adiuuenti adferre possint, Deus ineffabili bonitate & misericordia nos præuenit: & Euangelion (per quod Spiritus sanctus cōuersionem & renouationem in nobis operari & perficere vult) annunciari curat: & per verbi sui prædicationem & meditationem, fidem, aliaque pietatis virtutes in nobis accendit: ita quidem, vt hæc omnia solius Spiritus sancti dona sint atque operationes. Quin etiam hæc sincera doctrina ostendit nobis media, per quæ Spiritus sanctus hæc, quæ diximus, in nobis vult inchoare & efficere: & monet, quomodo hæc dona conferentur, confirmentur, & augmententur: & hortatur, vt gratiam illam diuinam non frustra acceperimus: sed vt dona illa sedulo exerceamus, cogitantes, quàm graue sit peccatum, tales Spiritus sancti operationes impedire, aut illis resistere.

Ex hac solida totius doctrinæ de libero arbitrio explicatione de quaestionibus illis, quæ iam multis annis in Ecclesijs Augustanæ Confessionis agitatae sunt, iudicari potest. Verbi gratia: quod quaeritur: an homo ante, in, vel post conuersionem Spiritus sancti repugnet? vel pure passiuè se habeat? an homo conuertatur vt truncus? an Spiritus sanctus detur repugnantibus? & an conuersio hominis fiat per modum coactionis? Hæc atque huiusmodi multa, iuxta

recita-



veritatem piam nostram de hoc articulo doctrinam,  
sunt dijudicari, & contraria falsa dogmata & errores  
agnosci, redargui atque rejici possunt, ut sunt :

PRIMÒ Stoicorum & Manichæorum furores, qui  
asserunt: omnia, quæ fiunt, necessariò fieri, & qui-  
dem eo, quo fiunt, & non alio modo: & hominem  
coactum omnia facere. Et, quòd hominis voluntas et-  
iam in externis operibus nullam omnino libertatem  
aut facultatem (ad externam ciuilem iustitiam, & disci-  
plinam honestam aliquo modo præstandam, & ad vi-  
tandis externa peccata & flagitia) habeat: aut, quòd  
hominis voluntas ad externa scelera, libidines, rapinas,  
caedes, &c. violenter cogatur.

I.

Deinde crassus ille Pelagianorum error: quòd li-  
berum arbitrium ex proprijs naturalibus viribus, sine  
Spiritu sancto sese ad Deum conuertere, Euangelio  
credere, legem Dei etiam toto corde implere, atque  
hac libera & spontanea sua obedientia remissionem  
peccatorum & vitam æternam promereri possit.

II.

Posteà Papistarum & Scholasticorum error, qui ali-  
quantò subtilius falsam opinionem suam proposue-  
runt, & docuerunt, quòd homo naturalibus suis viri-  
bus initium ad agendum bonum & ad conuersionem  
suam facere possit: sed quia infirmior sit, quàm ut be-  
nè cepta perficere queat, quòd Spiritus sanctus illa,  
quæ naturalibus proprijs viribus inchoata erant, ad-  
iuuet & absoluat.

III.

*tantum  
non v. p. r.  
fieri.*

Item, Synergistarum dogma: qui fingunt hominem  
in rebus spiritualibus non prorsus ad bonum esse e-  
mortuum, sed tantùm grauiter vulneratum & semi-  
mortuum esse. Et quamuis liberum arbitrium infir-  
mum sit, quàm ut initium facere, & seipsum proprijs  
viribus ad Deum conuertere, & legi Dei toto corde obedire

III.

*NB.  
tantum  
continetur  
sed proprijs  
viribus  
Synerg.*



possit: tamen si Spiritus sanctus initium faciat, & nos per Euangelion vocet, gratiam suam, remissionem peccatorum, & æternam salutem nobis offerat, tunc liberum arbitrium proprijs suis naturalibus viribus Deo occurrere, & aliquo modo (aliquid saltem, etsi parum & languide) ad conuersionem suam contere, eam adiuuare, cooperari, sese ad gratiam præparare & applicare, eam apprehendere, amplecti, Euangelio credere, & quidem in continuatione & conseruatione huius operis, proprijs suis viribus, vnâ cum Spiritu sancto COOPERARI POSSE.

Contra hunc errorem supra luculenter demonstratum est, quòd facultas applicandi se ad gratiam non ex nostris naturalibus proprijs viribus, sed ex sola Spiritus sancti operatione promanet.

V. Item, Pontificum & Monachorum doctrina: quòd homo postquâ regeneratus est, Legem Dei in hac vita perfectè implere possit: & quòd per hanc impletionem legis coram Deo, iustificetur, & vitam æternam promereatur.

VI. Ab altera parte magna seueritate & pio zelo redarguendi sunt Enthusiastæ, neque in Ecclesia Dei ferendi: qui somniant, Deum sine omnibus medijs, sine auditione verbi diuini & sine vsu Sacramentorum hominem ad se trahere, illuminare, iustificare, & saluum facere.

XII. Item, qui fingunt: Deum in conuersione & regeneratione nouum cor, atque adeò nouum hominem ita creare, vt veteris Adam substantia & essentia (præsertim verò anima rationalis) penitus aboleatur, & noua animæ essentia ex nihilo creetur. Hunc errorem expressè refutat D. Augustinus, in explicatione Psalmi vigesimi quinti, quo loco dictum Pauli: Deponite veterem hominem, &c. adfert & interpretatur, hisce verbis: Ne aliquis arbitretur, deponendam esse aliquam substan-

stan-



tantiam. exposuit, quid esset, deponite veterem hominem, & induite nouum, &c. cum dicit in consequentiis: quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem. Ecce hoc est deponere veterem hominem, & induere nouum.

Repudiamus etiam sequentes loquendi formas, si quis ijs citra declarationem vtatur: quod hominis voluntas ante conuersionem, in ipsa conuersione, & post conuersionem Spiritui sancto repugnet: & quod Spiritus sanctus detur ipsi repugnantibus.

Ex ea enim, quam paulò antè recitauimus, explicatione manifestum est, vbi per Spiritum sanctum in hominis intellectu, voluntate & corde prorsus nulla fit immutatio ad bonum, & homo promissioni diuinæ fidem prorsus non adhibet, & à Deo ad gratiam non redditur idoneus, sed totus verbo Dei repugnat, quod tibi nulla conuersio vel fieri vel esse possit. Conuersio enim hominis talis est immutatio, per operationem Spiritus sancti, in hominis intellectu, voluntate, & corde, qua homo (operatione, videlicet, Spiritus sancti) potest oblatam gratiam apprehendere. Et quidem omnes illi, qui operationi & motibus Spiritus sancti (quæ per verbum fiunt) contumaciter & perseveranter repugnant, non accipiunt, sed contristant & amittunt Spiritum sanctum.

Manet quidem etiam in renatis rebellio quædam, cuius scriptura mentionem facit: quod, nimirum, caro concupiscit aduersus spiritum: quod carnales concupiscentiæ aduersus animam militant: & quod lex illa in membris legi mentis repugnat.

Homo autem non renatus, Deo prorsus rebellis est, & totus est seruus peccati. Renatus verò delectatur lege Dei, secundum interiorem hominem. Videt autem nihilominus in membris suis legem peccati, quæ legi mentis repugnat. Quare mente quidem seruit legi Dei,

## VIII.

*Galat. 5.**1. Pet. 2.**Roman. 7.**Iohan. 8.**Rom. 6.*



Roman. 7.

carne verò legi peccati. Ad hunc modum vera de hoc negotio sententia solidè, perspicuè & dextrè declaranda & docenda est.

Quòd verò attinet ad phrasas & dicta Chrysoctomi & Basilij; Trahit Deus: sed volentem trahit: Tantùm velis, & Deus præoccurit. Item, Scholasticorum & Pontificiorum: Hominis voluntas in conuersione non est otiosa, sed agit aliquid, &c. quia dicta illa pro confirmando naturali libero arbitrio in conuersione hominis, contrà doctrinam gratiæ Dei introducta sunt: ex proposita declaratione manifestè apparet, formæ sanctorum verborum ea non esse analogæ, sed cum illa pugnant: & idcirco, cùm de conuersione ad Deum agitur, meritò vitanda esse.

Conuersione enim voluntatis nostræ deprauatæ (quæ reuerà nihil aliud est, quàm eiusdem resuscitatio à spiritali morte) omninò solius Dei opus est: sicut etiam resuscitatio in corporali carnis resurrectione soli Deo est tribuenda: quemadmodum supra perspicuè id explicatum, & solidis scripturæ sacræ testimonijs demonstratum est.

Quomodo verò Dominus in conuersione ex rebellibus & nolentibus hominibus, per Spiritus sancti tractum, volentes & promptos faciat: & quòd post hominis conuersionem voluntas iam renata, in quotidianis pœnitentiæ exercitijs, non sit ociosa, sed in omnibus operibus Spiritus sancti (quæ ille per nos efficit) cooperetur, supra satis perspicuè est declaratum.

Et quando Doct. Lutherus affirmat, hominem in conuersione sua purè passiuè sese habere, id est, planè nihil agere, sed tantummodo pati id, quòd Deus in ipso agit, certè non sentit, quòd conuersione absque prædicatione & auditione verbi Dei fiat: neque hæc ita accipi voluit, quasi in conuersione per Spiritum sanctum prorsus nulli noui motus in nobis excitentur,

neq;



neq; vlla spiritualis operatio in nobis inchoetur. Sed hoc voluit Doct. Lutherus: hominem ex seipso, aut naturalibus suis viribus non posse aliquid conferre, vel instrumentum adferre ad suam conuersionem: & hominis conuersionem, non tantum ex parte, sed totam prorsus esse operationem, donum, & opus solius Spiritus sancti: qui eam virtute & potentia sua, per verbum (in intellectu, corde & voluntate hominis, tanquam in subiecto patiente, vbi homo nihil agit, aut operatur, sed tantum patitur,) efficiat atq; operetur. Quod tamen non eo modo fit, quasi cum statua è lapide formatur: aut sigillum in ceram imprimitur: quæ cera neque noticiam, neque sensum, neq; voluntatem habet: sed eo modo hominis immutationem & renouationem fieri credimus, quem satis luculenter supra explicuimus.

Quandoquidem etiam iuuentus in scholis, doctrina illa detribus causis efficientibus concurrentibus in conuersione hominis non renati, vehementer perturbata est, dum disputatum fuit, quomodo illæ, (verbum videlicet prædicatum & auditum, Spiritus sanctus, & hominis voluntas) concurrant: denuò repetitum volumus ex supra posita explicatione, quòd conuersio ad Deum sit solius Spiritus sancti opus: qui solus est egregius ille artifex, hæc in nobis efficiens: materim tamen prædicatione & auditu sancti verbi sui (tanquam ordinario & legitimo medio seu instrumento suo) vtitur. Hominis autem nondum renati intellectus & voluntas, tantum sunt subiectum conuertendum, sunt enim hominis spiritualiter mortui intellectus & voluntas, in quo homine Spiritus sanctus conuersionem & renouationem operatur, Ad quod opus hominis conuertendi voluntas nihil confert: sed patitur, vt Deus in ipsa operetur, donec regeneretur.

Postea



Posteà verò in alijs sequentibus bonis operibus Spiritui sancto cooperatur, ea faciens, quæ Deo grata sunt: eo modo, qui iam à nobis in hoc scripto abundè satis est declaratus.

### III. DE IUSTITIA FIDEI CORAM DEO.

**T**ERTIA controuersia inter Theologos quorundam Augustanæ Confessionis orta, est de Iustitia Christi, seu iustitia fidei, quæ à Deo, per fidem, miseris peccatoribus ad iusticiam ex gratia imputatur.

Alij contenderunt, iusticiam fidei (quam Apostolus iusticiam Dei appellat) esse iusticiam Dei essentialem: quæ sit ipse Christus, vt verus naturalis & essentialis Dei filius, qui per fidem in electis habitet, eosq; ad bene operandum impellat: & hac ipsa ratione eorum sit iusticia: cuius inhabitantis essentialis iusticiæ respectu, omnium hominum peccata sese habeant inlatæ guttulæ aquæ, ad magnum mare collatæ.

Alij verò asseruerunt, Christum esse iusticiam nostram, duntaxat iuxta humanam suam naturam.

Contra utrosq; vnanimi consensu reliqui Augustanæ Confessionis Theologi docuerunt, Christum esse nostram iusticiam non secundùm diuinam tantùm naturam, neq; etiam secundùm humanam tantùm, sed iuxta vtrancq; naturam: quippe qui nos (vt Deus & homo) à peccatis nostris perfectissima sua obedientia liberauerit, iustificauerit, atq; saluos fecerit. Itaq; asseruerunt, fidei iusticiam esse remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & adoptionem in filios Dei: propter solam Christi obedientiam: quæ per solam fidem, ex mera gratia omnibus verè credentibus

ad 10.